

# LEGENTIBUS PROLOQUIUM.



**P**OST quinque supra quadraginta nostrorum laborum libros, quos usquemodo sapientie vestrae obtulimus corrigendos, et tandem prodeunt in lucem theologica volumina, in quorum emendatione vestram quoque humanitatem ampliori studio imploramus. Satis superque nobis perspecta est diutina illa patientia, qua abortiones, non fetus pauperula mentis nostrae, non semel in manus recipere, manibus quoque terere, & oculis perlustrare, dignati estis. Quod nobis incitamento fuit, ut plura semper in dies meditantes, eadem semper, pari vobis placendi aviditate, publici juris faceremus.

Quum igitur non paucos ex libris hisce evulgaverimus, qui vel historiam, vel oratoriam, vel asceticam, vel variam quoque eruditionem, cum moderato quodam criticae artis usu, praesferunt; nullum tamen edidimus, qui theologicam contineat facultatem, vel qui ad illam quomodolibet referatur. Quod sane quibusdam admirationi fuit; vel ex eo praesertim, quia in theologicis scholis fere omne tempus, quod in Religione percurrimus, vel dicendo, vel docendo, terentes, pro iisdem saltem debebamus, & majora, & ampliora volumina evulgare. Accedebat, quod a pluribus putabantur lucubrationes huiusmodi jam confectae, tunc quidem temporis, quando in scholis a nobis dictatae ab Auditoribus nostris suscipiebantur. Unde minoris erant nobis laboris, si excolenda tantum, non conficienda, ut alia, typis eandem voluissimus tradere, sine ulteriori vel temporis, vel laboris, dispendio.

Et re vera ita esset, si nobis eodem prorsus tenore schedas nostras, quas ad dictandum in scholis composuimus, in publicum evulgare, animus fuisset. At diversam sane faciem praesferunt modo ab ea, quam tempore illo ostendebant; quia tunc Scholasticam solummodo profitentes doctrinam, dogma, vel historiam attingere dumtaxat, non profiteri, conabamur. Et quum tempus daretur ad docendum praefixum, ac determinatum, incongruum omnino videbatur, terere illud in iis, quae ad institutum nostrum non pertinebant, & abstinere ab illis, quorum summa, ut in aliis scholis in usu est, nobis committebatur.

Modo autem, quia nec legibus tenemur ad hoc vel illo modo scribendum, nec temporis angustiis laboramus, ampliori possumus libertate uti, qua Dissertationes nostras, quo utiliori ducimus instituto, evulgemus. Igitur Scholasticas Controversias omittere non iudicavimus opportunum, nec illas ex professione tractare. Quia innumeri ferme sunt libri, qui eandem ex instituto tractant; ad illos possumus Legentes remittere, si satius velint de iisdem percipere. Et quia fere omnes, qui Theologiam discunt, Scholasticam exoptant; hinc defectivum visum est futurum fuisse opus, si Scholasticas Controversias non contineret. Qua de re principales inter illas agitare non omisimus, brevi quidem calamo, ut non ita, ut vel obsecritatem, vel defectum, inducere videremur.

Historiam vero ita pertractamus, ut Haeresum, & Haereticorum fere omnium, quos potuimus reperire, non superficialiam, sed exactam quoque, juxta moderatam Criticam leges, exhibeamus. Auctoribus utimur ad probanda, quae asserimus, & antiquis, & recentibus; sed illorum testimonia non tanti facimus, ut aliquando, si probabiliora supersunt, eadem respicere formidemus. Sanctos Patres conamur pro viribus vindicare, vel ab erroribus, quos iisdem impingere plerique iudicant, ad Eruditorum famam captandam, conferre; vel ab aliorum interpretationibus, quibus catholicam veritatem cognoscimus deturpari potius, quam propugnari. Facta denique candidiore quo possumus calamo narramus; ita quidem, ut nec Adversariis invidiam, nec nobis odium, conflemus.